

1. Ann Josephi decepti, fuent. H.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanueli Matth. 1, 18, 23.  
De edulo pni 1 Joh. 11, 2.
3. De amictu baptista. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De viti. Virginia. Mt. 3, 4. Mr. 1, 6
5. Cantus. Sup monte Mt. 5, 14.
6. De beatorum pni cura Eleemofynar. Mt. 6, 2
7. Petrus Anush. Vnicor. Mt. xv, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De angust. Petri & Kasp. Xi Mt. 16, 13-19. Inevy.
10. Tu es Rex. pny. d. inventi. Mt. 16, 16.
11. De claris. hie. Mt. 16, 19.
12. De unitate. Clav. Joh. x. h. Mt. 16, 19
13. De Diabolo in X. solutus Mt. 17, 21
14. Sapph. de <sup>persecutio</sup> ofensionis in iura. Mt. 23, 1-16
15. Vol. Xi congregatum volente. Mt. 23, 37.
16. Chetubul. De haco. Euph. Mt. 24, 14.
17. De ot. d. g. Xi. Mt. 24, 28
18. Ager sanguinis. Mt. 27, 3-11.
19. Tumba servatoris. Mt. 27, 60
20. De Ant. Judas. de. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De cura. m. t. g. Olav. Sancti. Mr. 6, 13. Luc. 7, 14
22. De incarnatio. mysterio. Luc. 1, 35
23. De. m. t. g. Xi. p. servata.
24. De. m. t. g. Xi. Luc. 2, 21
25. De. m. t. g. Xi. p. servata. Luc. 7, 47, 48
26. m. t. g. Xi. Luc. 8, 13
27. Xi. cura. Sabothica. Luc. xv.
28. De. m. t. g. Xi. p. servata. Luc. xvi, 9
29. m. t. g. Xi. Luc. 16, 9
30. m. t. g. Xi. Luc. 16, 9
31. De. m. t. g. Xi. Luc. xix, 41.
- + 32. m. t. g. Xi. Luc. 22, 32

800  
R



33. Vetus & Vetus aliena. Luc. 22, 31, 32  
 34. Rex duo gladii Luc. 22, 38  
 35. De Nazarethi purificantis Joh. 1, 12  
 36. De officio de prophetis Joh. 1, 18  
 37. De Tempore personis Solitudine & operante Joh. 2, 19  
 38. De Regeneratione Joh. III, 3, 5  
 39. De Conversione Samaritanorum Joh. 4, 1-43  
 40. De munditate videndi Principis Samaritanorum. Joh. 4, 2 supra  
 41. De adoracione spiritus & veritate Joh. 4, 24  
 42. Magnificum. De Tractu hinc ad flumen Joh. 6, 44  
 43. De spirituali manducacione carnis & sanguinis Joh. 6, 56  
 44. Commentarij n. Joh. 8 25  
 45. Mysterium unum de mysteriis Joh. XI, 16  
 46. De Sacerdotis epist. Dobrym Joh. XII, 32  
 47. De pedilavio Joh. 13, 5  
 48. Vitis Cali mater s. De unione mystica Joh. XV, 1  
 49. A. H. Januarii classis utrans. Joh. 20, 19  
 50. Theologia Johannea <sup>vera</sup> Joh. 20, 31  
 51. Theologia Johannea falsa. Joh. 20, 31  
 52. Christus ex mortuis resurrexit Act. 2, 24  
 53. Sicut de baptismo Act. 2, 38 Mainz  
 54. Baptismus primarium Chelidonium. Act. 2, 38  
 55. Samuel ibro-Textu. Act. 5, 38  
 56. Dicitur pater in d. Henschel. Act. xv, 11  
 57. De gestis salvatoris. Act. xv, 11 Mainz  
 58. Eundem salvand. mod. & v. & h. Test. Act. xv, 11  
 59. De gestis Pauli ap. Athenienses Act. 17, 16-28  
 60. Ara ignota d. Boffy Act. 17 23  
 61. De omni natione. Act. 17, 28  
 62. Act. 17, 28. Contra Hellesum & Episcopum.  
 63. Gallionismy Act. 18, 12-16.

64. Theologie Art XIX, 35.

65. De Reformatione Ecclesie. Art. 26, 10, 11

66. ~~de~~ & differentia donorum gratie Art. 26, 17, 18 ~~manu~~



+



DISSERTATIO PHILOLOG; THEOLOGICA  
DE

 **ΛΕΙΣΜΟ**

Circa

**ELEEMOSYNAS,**

Ad locum Matth. VI. vñ. 2.

Quam

Supremi Numinis Auxilio

PRÆSIDE

*VIRO Admodum Reverendo, Clarissimo*

**GODEFRIDO JÜNGST,**

SS. Theol. Doct; ejusd. Prof. O. Celeberr:

nec non Ecclesiastæ ad D. Ansgarii  
facundissimo,

Eruditorum disquisitioni placidæ submittet

**DIDERICUS KÖLER,**

BREMA - SAXO,

AUCTOR.

*Ad diem 30. Junii Hor. loc. consuetis.*

**B R E M Æ,**

Typis HERMANNI BRAUERÏ, Illustris Gymnasii

Typographi. 1707.



*ILLUSTRI, Perquam Magnifico, Perinclutis, Amplissimis,  
Consultissimis, Celeberrimis, Florentissimis  
VIRIS ac DOMINIS,*

- DN. HERMANNO DWERHAGEN, Jcto Eminentissimo, Reip. Patriæ Consuli Spectatissimo, Præsidi h. t. Splendidissimo, Illustr. Scholæ Brem: Scholarchæ gravissimo optimè de Republ. merito.
- DN. GERHARDO à MASTRICHT, Jcro. & Polyhistori consummatissimo, Patriæ Oratori seniori facundissimo, meritissimo.
- DN. MATTHIÆ BOOT, S. S. Theol. Doct. Ejusd. ut & Historiarum Prof. Ord. venerabil, celeberrimo.
- DN. WERNERO KÖNE, J. U. D. solidissimo, Senatori spectatissimo, Scholarchæ gravissimo, Eccles. Agrar. Visitatori vigilantissimo, Rei militaris & Armamentarii Præfecto dignissimo.
- DN. CONRADO IKEN, U. J. D. præcellentissimo, Gymnas. quondam Profess. celeberrimo, Amplif. Senatus membro spectatissimo, Prætori æquissimo, Reique militaris h. t. Directori vigilantissimo.
- DN. LIBORIO vott LIEN, U. J. D. Incluto, Senatorii ordinis Viro dignissimo, spectatissimo.
- DN. DIDERICO KANNENGIESSER, U. J. D. Excellentissimo, Patriæ Patri spectatissimo, in Ober-Viehlandia superiori Gogravio, Pagorumq; Huchting: Judici bene merito, Hospiti suo munificentissimo.
- DN. ANDRÆÆ WEITSEL, Mercatori magnario, Armamentarii publici Curatori vigilantissimo, Ædiliq; ad D. ANSGARII meritissimo.
- DN. ELARDO FEDELER, Mercatori è primariis eximio,

*Dn. Mæcenatibus Patronis  
studiorum suorum sacrorum has  
primitias offert*  
AUCTOR.



## Summarium Dissertationis.

§. 1. Proem. 2. Origo, lectio vocis ΕΛΗΜΟΣΥΝΗ. 3. Provident. Dei erga paup. V. T. præscribendo ipsis varia media, nempe Eleem. que duplices. v. stricti juris sive ordinariæ. v. liberi arbitrii seu extraordinariæ. 4. 1. Genus, stricti juris. 5. 2. Genus. 6. 3. Genus. 7. 4. Genus. 8. 5. Genus. 9. 6. Genus. 10. 7. Genus. 11. 8. Genus. 12. 9. Genus. 13. Eleem. liberi juris, quò pertinent varia legis sacræ commista. 14. Explicatur locus Deut. 15. 15. Quinam pauperum nomine intelligantur. 16. Pauperes erant vel peregrini vel inquilini. 17. Eleem. pro paup. in terra Canaan. 18. Pro pauperibus mundi. 19. Pro pauperibus urbis. 20. Harum collectio facta à פְּרֻסִי. 21. Eleem. promendicabulis. 22. Circa has Eleem. prohibet Christus *ελαμίζεσθε*, ubi vocis origo. 23. Materia & formatio buccinae. 24. Fundam. ritus salpizationis Judaicæ. 25. Aliorum populorum. 26. Queritur an apud Eleem. buccinaverint, Affertur sensus improprie. 27. Sensus proprius præfertur ob rationes. 28. Rat. 1. 29. Rat. 2. 30. Rat. 3. 31. Rat. 4. 32. Rat. 5. 33. Rat. 6. 34. Persar. & Indor. instit. 35. Usus hodiernus apud Christianos. 36. Conclusio.

## PROOEMIUM.



§. I.  
Aeri Codicis nobilissima pars est Historia Evangelicæ, quæ Christum ipsum, in quem omnes collineavêre umbræ, sistit. Velut autem Nov. Test. vix ac ne vix quidem absque Antiquitatum Judaicarum, Græcarum, Romanarumve cognitione penitiori, sic neque hæc pars sine illa, intelligi potest. Cespitabimus enim ubique, ac cruces nobis inveniemus fixas quàm plurimas, si imperiti rituum istarum gentium erimus. Hæc enim, dum res breviter narrat, multa supponit, illique genti, cui proposita abundè nota, omittit. Viderunt hoc omnes, quotquot à renatis litteris operam suam contulerunt & industriam, ut Historiam Sacram luce salutari perfun-

A

funderent. Hinc est, quòd Virorum Excellentiss. frequentes habeamus commentarios in libros ferè omnes totius libri sacri satis felicissimos. Post diligentiam tamen tantorum virorum nondum omnia accuratè satis explanata sunt, sed plurima relicta posterorum industriæ & solertix. Inter reliquos sacra scripturæ locos difficiliores, aliquâ quoque luce indiget, à nemine Eruditorum ex professo, saltem quantum mihi constat, tractatus, ille quem hâc Dissertatione illustrare inanimo habeo. Addam ego huic loco quædam, quæ ex Antiq. Hebr. Græc. Romanave huc inservientia legi, & excerpti. Partes constituam generatim duas. I. de Eleemosynis. II. de *σαλπιμοῦ* circa eadem, Deus adsit benignissimi Spiritûs auxilio.

§. 2. Primum quod inquirendum venit est, vox *Ελεημοσύνη*, derivatur *שׁוֹפֵר טֵבַע* *ἐλεειν* misereri, teste *Suicero* in *Thef. Eccles.* derivari potest à Chald. *ܢܪܢ* lamentari. *Stephanus* cum *Martinio* cœterisque optimæ notæ Lexicographis vertit misericordiam & beneficentiam. *Pasor* definit ita: Accipitur vox *Ελεημοσύνη* pro dono, quod erogatur in pauperem ab homine misericorde & benigno. Hoc sensu sumitur *Luc.* 11: 41. 12: 33. *Act.* 3: 2. Lectio autem Græca & Hebræa variat in hac voce. Pro *ἐλεημοσύνη*, quod ferè omnes Codices Græci habent, legit Hebr. *צַדִּיקָה*, quod nos cœteroque reddimus justitia. *Cl. Prideaux* dicit *not. 3. ad Majm.* Linguam Hebræam ob defectum, quem passa fuerat, eo tempore, quo Thalmudici suas constitutiones de Eleemos. tradiderunt, non suppeditasse vocem, quæ proprie significaret Eleemosynam & ideo assumisise ob convenientiam quæ intercedit, *צַדִּיקָה*. Sed nescio an lapillum album huic adjiciam. Nam reperimus jam in libro *Tobie* C. 4: 8. 10. 11. à *Fagio* Hebraicè edito vocem *צַדִּיקָה* pro *ἐλεημοσύνη*. Imò LXX sæpius *צַדִּיקָה* reddidère *ἐλεημοσύνην*, misericordiam, donum quod ex misericordia confertur. Sic est *Deut.* 24: 12. *Pl.* 24: 5. 33: 5. *Esai.* 59: 16. *Dan.* 4: 24. Et quid impedit, quo minus ita vertatur, cum stips pauperi erogari solet ex misericordia & inde eleemosyna dicta apud Græcos cumque justitia strictè sumta misericordiæ non rarè opponatur. Vir literaturæ Hebræicæ peritissimus Doctiss. *Joh. Lightfoot*: & qui eum plerumque sequi solet Erud. *Otto*, rationem nominis inde arcessunt, quia Judæi in Eleemosynis crediderunt passim vcl. maximè repositam esse cau-



causam justificationis coram Deo. Sic quoque צדקה à Judæis ipsis acceptum est pro causa impetrandæ à Deo misericordiæ. Vir de Hebraica cognitione præclare meritis *Joh. Drusus* ita. Aut vocatur eo nomine Eleemosyna, quia hominib' paupertate afflictis subvenire justum est. Sic princeps Doctor linguæ Hebr. *Buxtorf.* in Lex: ad vocem צדקה. Cum eo maximus interpres *Joh. Coccejus* exposuit dicendo, vocant Hebræi Eleemosynam justitiam, quia justum est pauperibus dare. LXX decem locis sacri codicis fide *Kircheri* Justitiam vertunt eleemosynam nim. seqq. Deut. 6: 25. 24: 13. Pl. 23: 5. 33: 6. 103: 6. El. 1: 27. 28. 28: 17. 59: 16. 56: 1. Dan. 9: 6. *Drus.* quinque produxit textus in *Quest.* suis. *Grotius* vir illustr. duos addit latis notabiles 1. Sam. 12: 7. Pl. 36: 2. Quid quòd ipsis quoque Latinis autoribus Justitiæ vocabulum simili significato receptum est. Sic *Cicero* l. 5. de *finib.* Est, inquit, justitia habitus animi, communi utilitate servata, suum cuique tribuens, atque societatem conjunctionis humanæ munificè atque æquè tuens. Sic & *Terent.* *Heaut.* *Act.* 4. *Scen.* 1. *Corn. Nepos* in *Aristid.* c. 2. *Salust.* c. 9. Consule *Lexicon* absolutum *Fabri.* Videndus Vir præst. *Joh. Vorstius* in opere elegantis & pererudito, quo Hebraismos N. T. accuratè exponit l. 1. C. 2. *Schickardus* non absurdi judicii vir; *Frantzius* in libr. egregio de *Script. interprete oracul.* 60. & Vir immort. memoriæ *Spanhem.* in Dub. *Evang.* p. 3. *Schultetus* sacundiff. in *Exerc. Evang.* l. 2. C. 51. Hæc de voce Eleemosyna.

§. 3. Veluti Respubl. Judaica summâ cum sapientiâ à Deo constituta est, sic necesse fuit, ut in illius constituendæ legibus pauperum quoque & egenorum ratio haberetur. Nam etsi cuique Judæo successerit familia portio in hereditate Canaan sufficiens, eum tamen multis industria & prudentia defuerit ad se conservandum, hinc paupertas & egestas in rep. illa evitari non potuit. Curavit ergo prudentissimus Legislator, ne quid hac in parte suæ Civitati deesset, ideò adversus hoc malum efficacia in Verbo suo præscripsit media & jura. Erant autem generaliori vocabulo Eleemosyna. Varia autem earum genera, quæ jam dispefcemus in *stricti juris, seu charitatis, vel liberi arbitrii Eleemosynas. Stricti vel statuti juris dicebantur* ideò, quia pauperes illa velut sua bona ceu debita infcisi Dominis recipiebant. Erant autem multipli-

cia; nim: Angulus agri, Spicilegium Manipulus, olea relicta, cul-  
 mus, sponte nascentia ערלל. Acinus deciduus, Decima pauperis,  
 De singulis singulatim.

§. 4. Primum genus *ordinariarum strictaque juris; Eleemosynarum* ha-  
 betur in lege Lev. 19:9. לא תכרה פאת שרך לקצר *Non consumnabis*  
*metendo angulum agri tui LXX. & συντρίσεις τὸν θερισμὸν ὑμῶν τὸ ἀγρὸν οὐ*  
*ἐν θερίσει, non perficietis messē vestram agri tui metendo.* Hæc verò  
 dicta non minùs de agro frugibus confito, quàm de arboribus  
 frugiferis, adeoq̄ de proventibus telluris annuis omnimodo capi  
 possunt. Conjungitur autem in Lege Sacra angulus agri cum  
 sacrificiis, salutaribus, ut, quemadmodum dandæ certæ partes Deo  
 de hoc sacrificio, ita quoq̄ pauperibus darentur, ne scil. homo avarus  
 esset, sed liberalis. Erat autem Angulus ille agri pars agri  
 extrema, in qua relinquebantur fruges, quæ non refecabantur.  
 Et intelligitur extremitas Agri, non verò *segetum* anguli seu extre-  
 mitates, de buiten syde of uitterste einde, uti rectè Belgæ, quasi salx  
 non tam profunde sit in segetes immittenda, quin longiores sti-  
 pula in usum pauperum relinquantur & spicæ depressiores re-  
 maneant, uti arbitratur *Magnus Hieron*, quem propterea *Vir Doct.*  
*Bonfrerius* in h. l. culpatur. Illustratur apprimè inde locus Deut.  
 32: 26. *Angulatim profligem eos.* Vertuntur verba plerumque ita. *In*  
*agrum colligam eos: Habebo instar relicti in agro anguli, quem quilibet di-*  
*ripere potest.* Sic Angli in sua vers. & R. D. *Kimchi* Rabbinorum  
 celebris in lib. Rad. פאר. *Quistorp.* Doct. ad h. l. *In angulos terræ*  
*relegabo, cum eo Calov. Hug. Grot. antagonistæ Tr. bibl. illustr.*  
*Osiand.* Ubi nam sunt, vertit; sic & *Luthers* & *Vinar.* Videtur  
 meo iudicio expositio prior analogiæ Gramm, satis conformis &  
 facilis, sed nec reliquæ laude destituuntur, nec Hebr. constituit;  
 Quantum autem dandum de angulo agri, ipsæ sacræ litteræ non  
 præscribunt, sed hoc cognosci debet ex scitis Hebræorum ma-  
 gistrorum. Nim: ad minimum erat pars sexagesima, etsi pro lubi-  
 tu pars major relinqui possët, si agri, proventus majores, egeniq̄  
 numerosiores forent. Sed observandum probè, ex omnibus fru-  
 gibus illis, quæ שרוא אורכל *ad esum aptæ & licite sunt*, relinqui de-  
 buisse. Non verò demeti debebat Angulus agri ab ipsis pau-  
 peribus, ne scil. sibi invicem, dum studerent colligere, inferrent  
 da-

סג 5 סו

damnum, aut falcibus messoris vulnerarent. Accedere autem poterant egeni ter in die, manè, meridiè, vesperi, quæ tempora vocantur אבערת בעה à בעה, seu *manifestationes*. Ipse Dominus agri ter sese in agro exhibebat eo fine, ut tunc egenis permitteretur accedendi venia. Distribuitur autem *Manè* propter nutrices, eò quòd dormientibus interea temporis infantibus, eò liberiores exire possent domo. *Meridiè* propter puerulos. *Vesperi* propter senes ætatisque provectioris, qui urbem non petunt nisi tunc temporis, docentibus hoc pari Theol: Anglorum nobilium *Ligt. & Ainswortho*. Dabantur autem non unicuique, aliàs enim quisvis facile se egenum simulare potuisset. Non poterat fieri particeps hujus Anguli ille, qui ducentos Sufæos, i. e. 50. siclos sacros in bonis habebat, aut qui 50. solum habebat & cum iis negotiabatur, mercaturamque agebat, illisque ad usuram uti sciebat. Et si cui pauciores essent quam ducenti Sufæi, neque illis in negotiationibus uteretur, tamen si mille homines ei dona praberent, nihilominus ei licebat gaudere Angulo agri, Spicilegio &c. Et quamdiu aliquis ex cistula pecuniam non accepit, potuit his frui, sed simulatque pecuniam è cistula accepit, huic præcipitur, quòd suppellectilem suam pulchram vendat sibi; compararet tenuiorem. Non enim fas esse diminuere pauperes.

§. 5. Secundum genus Eleemosynarum ordinariorum & stricti juris erat לקט. Sic de eo facer codex לקט קצרך לא תלקט. Et collectionem (nim. frugum seu spicarum remanentium), seu *Spicilegium non colliges*. Erat ergo *Spicilegium* illud, quod decidebat, cum seges demetebatur, seu quod excidebat ex falce seu è manu, cum colligebantur spicæ. Notantur autem hæ conditiones. Si una vel duæ essent spicæ (non si tres vel plures simul exciderent) pertinebant ad patrem familias, & id quod cadebat pone falcem vel post illam, & manum, quantumvis etiam unica spica, non pertinebat ad spicilegium. Interim si quis spicas eveleret & quædam è manu exciderent, referebantur ad spicilegium, sentientibus ita Rabbis. Observabantur autem hic casus varii. v. g. 1. Si spicilegium cum spicis patris familias commixtum esset, dissipante spicas vento, de quolibet agro, in quo Corus seminari poterat, pauperibus loco spicilegii dabantur cabi quatuor. 2. Si

Spicilegium nondum esset à pauperib<sup>us</sup> collectum, & segetes patris familias coacervatæ essent, omnes spicæ, quæ in segetum cumulo terram attingebant, cedebant pauperibus. 3. Si in foraminibus formicarum reperirentur spicæ in loco ubi messis erat transacta, non autem in loco ubi seges adhuc in culmum erecta stabat, pauperibus dabantur spicæ superiores, quia ex hac messe decidisse præsumuntur, inferiores verò & quæ jamjam nigrescebant, erant Domini Agri. 4. Si commixtæ fuerint quædam spicæ cum acervo frumenti, paterfam: proferebat duas spicas (secundum *Jonath.* ad Gen. 41: 47. talis spica facit duos pugillos) & ad unam dicit. Tu si ad spicilegium pertines, bene est, & hæc altera erit decima ejus. Tum primam tradit pauperi, alteram verò sacerdoti. 5. Si quis paterf. ipse opus habeat spicilegio, in itinere constitutus autem alia necessitate adactus, domum reversus illud restituere debet: at secundum *Majm:* dare poterit quod libuerit, vid. *Tr. Peah.* 5. 4. Idem dicendum de angulo agri de quo §. antec. 6. Si descenderit jam pluvia secunda (i. e. appropinquante jam die 7. Octob.) à quo tempore seniores incipiunt ire ad spicilegium, cuius licet facere spicil. & quidem hac de causâ, quia supponitur egenos tunc jam sufficienter collegisse, dein ne ea, quæ relicta esse possent, corrumpere. vide *Peah.* 8. 1. Hinc ergo quam manifestè patebit, quomodo Rutha collegerit spicas. cap. 2. 2. 7. 15. nimirum eo uti dictum est modo, teste Rituum antiq. indagatore solertissimo *R. S. Jarchi* in h. l. At quando Rutha injungitur, ut exeat cum puellis Boas prius occurrant ei in agro alii, videntur verba hæc explicanda de occurso aliorum, qui simul venerant ad colligendas spicas. Bene *Lutherus*; auff daß dir nicht jemand drey rede. *Bibl. Weimar.* & *Osiander.* illud obloquium de spicarum collectione interpretantur. Sed hi adversos sibi habent Judæos ingenuè affirmantes, non potuisse prohiberi spicarum collectionem, imò ne quidem faciunt ullum discrimen personarum, gentis, religionis, ceu docet *Maim.* in *Tr. de Don. paup.* Minus rectè *Tostat. op. T. 5.* quod Rutha adhæserit puellis, ut simul fruges demeterent, quæ sententia iudicio *C. à Lapid.* in h. l. caret omni fundamento.

§. 6. Tertium nunc genus *stricti juris Eleemos.* explicandum venit

venit, nimirum *Manipulus oblivioni datus*. Lex sacra ita Deut. 24: 19. *Cum messueris messem tuam in agro tuo* וְשָׂכַחְתָּ עֹמֶר בְּשֵׂרָה לִי תִשָּׁבּוּ לְקַחְתּוֹ שְׂכַחְתָּ עֹמֶר בְּשֵׂרָה לִי תִשָּׁבּוּ לְקַחְתּוֹ *oblitus fueris manipulum in agro, non reverteris ut tollas eum*. Vocatur vocabulo generaliori שְׂכַחְתָּ, inde quia à patrefam. ejusque operariis erat neglectus, cujus in agro non fuerant recordati, quantumvis jam essent in urbe & memores illius, habebatur tamen pro oblivioni dato. Variè autem colligebantur: 1. Quod si colligens manipulos inciperet ab Oriente, tum manipulus in ordine seu linea priori isque medius, utut relictus esset, non erat oblivioni datus, nempe ideò, quia lineæ sese respiciebant & numerabantur ab Aquilone in Austrum, sicut ab Oriente in Occidentem. 2. Si paterfamiliàs ejusq; servi incipiebant à media linea & prætermittebant manipulum unum in loco incepto, qui erat punctum solitarium in medio relictum, ut hic respiceret ad Aquilonem ille ad Austrum, non erat oblivioni datus, sed appellabatur à tergo illorum relictus, uti hoc testatur *Jac. Kappel. & Maim. in Mischn. Peab. C. 6. §. 4.* 3. Quod si quis colligere inciperet ab initio lineæ manipulos & oblivisceretur manipulorum aliquorum antè & retrò, tum ille, qui ante relictus, non erat שְׂכַחְתָּ, sed qui retrò, v. g. si nimirum inciperet ab Austri manipulo ultimo, & oblivisceretur manipuli ejusdem lineæ secundo retrò spectati, acciperentq; medium in eodem ordine, clarum erat, quod præterissent manipulum secundum retrò spectatum, & ille dicebatur oblivioni datus. At verò, quod erat ante hominem colligentem, illud non erat datum oblivioni. 4. Quod si operarii obliviscerentur manipuli, cujus oblitus paterfamil. & vice versâ, imò si tam hic quam isti obliti, alii autem transeuntes ipsò quo obliti erant tempore viderent, & indicarent, pro derelicto per oblivionem censendus non erat. 5. Quod si duo inciperent colligere manipulos, à media linea manipuli secundi versus Aquilonem & Austrum procedendo, tunc manipulus ille non erat oblivioni datus, quia erat à tergo relictus, manipulus autem sequens cum antecedenti erat oblivioni dati, quia erant ante faciem illorum, & præterierant illos. Conferri meretur de hisce vir Eximius *Otto in Lex. Rabb. Philol. & Maimon. in Matten. Avjim. C. 5.* Decidenda autem videtur hic quæstio illa, An soli pau-

pauperes, num verò divites etiam potuerint appropinquare & dona pauperibus, de quibus jam diximus, relictis, capere? Resp. Notandum esse, quòd ille, qui hoc animo dimittit, ut habeant egentes, ad quod dimittuntur, misericordiam faciat, tum etiam, cum populo hæc præcipiuntur, simul admonentur ii, qui non indigent, ista non querere, utpote, quæ ipsis non competebant. Quòd si verò quæsierint, quid aliud, quàm res alienas appetunt, & pauperes invadunt. Observandum etiam probè, quòd & accesserint divites, sed non cum pauperibus, ast tum demùm, cum pauperes dona sua jam collegerant, accedere poterant, si adeò eos incitaret auri sacra fames. Porro nemo poterat manipulum colligere, quando messis adhuc in agro, sed cum in hordeum delata erat, & re ipsa seposita, secundùm generale axioma: *Manipulus sit Schekecha, postquam in locum eum messis est deposita, in quem ultimo solet recondi.* Ultimò, Pauperibus non relinquebantur manipuli parvi, sed magni, nam fasciculi minores non habebantur pro manipulis.

§. 7. Neque solùm ad manipulos agri, sed pariter ad messem vindemiæ & arborum qualiumcunque fructus spectavit hæc lex. Sic de eo sacræ litteræ Deut. 24: 20. Cum excuties olivam tuam *אוררך לא תפאר* non tolles ornatum ejus post te, peregrini, pupilli & viduæ esto. Fit autem ideo solius oleæ mentio, quia olea erat in magno pretio: intelligitur autem arbor quavis, de quæ omnibus arboribus, Nucibus, Amygdalis, Malogranatis &c. exceptis tamen herbis, non verò allio & cepis, idem judicium formandum; nim: ne habeantur pro oblivioni datis sed absconditis, si ita essent collocatæ ac manipuli frugum, etiamsi in quolibet ordine ne quidem tres, sed duæ tantùm arbores compareant. Conf. *Misch. Peab.* c. 7. & in eam *Obad. de Bartenora.* Non tollere autem ornatum, est aliquas relinquere in olea olivas. Sic plerique Hebræi hanc phrasin explicant. Theologo autem incluto, Viro incomparabili, Analytico felicissimo Joh. Piscatori aliter videtur. Sic enim ille in h. l. *Verbum פאר* quod aliàs significat decorare seu ornare, hoc loco videtur signif. mutuari à nomine *אוררך*, quo signif. Ramus. Videtur, inquit porro, etiam retineri posse signif. usitata hoc sensu. Ne ornato scil. olivam decutiendo olivas residuas in nonnullis

*ramis*

ramis, ita ut intelligatur ornatus, qui consistit in conformitate ramorum, ut scil. singuli olivis caveant, non autem plerique, pauci aliquid habeant. Germ. Du solt deine Oelbäume nicht rein abschüttern. Sed, inquit demum, videtur prior expositio simplex & genuina. Hæc ille. Rabbinos habet ille contradicentes, opinantes oleæ ornatum non statim consistere in conformitate ramorum, sed in fructibus, olivis; ut, si illæ relinquuntur in aliqua oleæ parte; non inde statim olea videatur ornatum omni destituta. R. D. Kimchi Rabbini celebris statuere videtur cum nostro Piscatore, nim: ornatum arboris esse ramum arboris, sed asserit, majores suos explicasse de olivis in ramis remanentibus pauperibusque relinquendis: Consule Libr. Radic. p. 285. Sic quoque in Schol. El. Levita, Judæi Germ. popularium suorum Secul. XV. doctissimi & fama scriptisque satis noti, in lib. rad. Kimchi. Rejicimus & illam explicationem Non ornabis post te. i. e. posteros tuos, ut existimes, filiis tuis competere istas olivas, quas Deus vult dari pauperibus. Habebat autem se hic res eodem modo, uti in manipulis in medio ordine relictis, sed non oblivioni datis, Nimirum si olea reperta staret inter tres ordines duorum מלבני (quæ notant areolas frugum quadratas) tunc olea, quæ est in linea media, est neglecta, non oblivioni data; & licet sit inter arbores alias multas, & conveniat, ut vocetur oblivioni data, nihilò tamen secius non est oblivioni data, quia vocatur abscondita. Et exinde varia commata Biblica illustrari possunt & ex jam dictis lucem accipere, nimirum Ruth. 2: 7. Jerem. 9: 22. Amos 2: 13. Mich. 4: 12. Zach. 12: 6. Sed ne dissertatio in immensum excrescat remittimus B. L. ad commentarios in hæc loca præcipue Hug. Grot. & magni Coccej.

§. 8. Ad res has in agris relictas, per consequens ad Eleemosynas stricti juris spectat etiam *Culmus* inter metendum non resectus. De hac re aliunde satis abundè constat, neque difficilis res est explicatu, si tantum modò observetur hic casus. Si hujusmodi seges in culmum erecta, contineret duas seas, non numerabatur inter res oblivioni datas. Præterea si manipulus oblivioni datus proximè adjaceret hujusmodi segeti, non habebatur pro tali, nimirum pauperibus dando, uti docent Rabbini, qui hac de re scripserunt, imprimis Maim, de Matth. Anyim. c. 5. & in Misch. Peah, c. 6.

§. 9. Explicatis hisce dicenda veniunt de rebus sponte nascentibus, quæ similiter in agro relinquebantur, & ex parte, licet non solis, pauperibus darentur. De his sermo habetur Lev. 25: 5. *Sponte natum ex messe tua ne demerito.* Alia injicitur mentio sponte nascentium 2. Reg. 19: 29. *Esā. 37: 30.* ubi occurrunt vocabula ספיר & סחיש, Kimchi dicit ספיר esse germen, quod sine aratione & seminatione oritur, & סחיש esse, quod germinat ex radicibus feminis post ספיר. Idem sentit Corn. à Lapide in 2. Reg. 19: 29. Sed Sanctius in h. l. ait idem esse, quod sine ulla opera hominis nascatur, seu terra sponte fundat, seu quod ex relictis superioris anni granis in agro nascatur. Sed h. l. ספיר esse, quod ex radicibus demessæ aut conculatæ segetis repullulet. סחיש autem, quod ex radice antiqua, alteriusve anni labore, ortum ducat, qualis arborum fructus, qui provenit è planta, longè ante illud tempus sata. Celeb. Buxtorf. in voce סחיש dicit esse id, quod ex præcedentis anni frugibus relictis sponte recrevit ספיר autem esse frumentum sine semente aut satione. Quicquid demum sit, constat ex allegata lege, quod hæ fruges fuerint fructus terræ pro servo, ancilla, mercenario & inquilino.

§. 10. Sequitur jam septimum genus Eleemosynarum stricti juris nimirum עירל. In lege sacra ita Lev. 19: 10. *וְכַרְמְךָ לֹא תִתְּלֵךְ* Et vineam tuam non racemabis, עירלות sunt peculiare uvæ Es. 24: 13. Obad. 5. Jerem. 6: 9. nimirum uvæ districtæ oleæ, at vero Michæ 7: 1. interceptæ, uti recte Belgæ vertunt *divine trossen*. Sic Hebræi hac de re עירלות sunt parvule uvæ, eaq. tenues, quarum una uvæ non penes aliam, sed disjunctim posite עירל vocantur, quia si cum aliis uvis comparantur sunt parvæ (uti עירל, i. e. parvus cum viro) videri meretur Ainsworth. in comment: egregio super Pentat. ad h. l. & viri immortalis Buxtorf. Lex. Thalm. Relinquantur nec hæ pauperibus, ita tamen ut uvæ seu racemuli, quibus nec כתף, nec כסף, id est nec seapulæ densiores, nec uvæ conjunctiores, essent, sed tam has, quam illas ita invicem dispersas & distantes, ut reliquorum ubertatem densiorem haud imitarentur. Videri possunt, quæ de hisce vocibus כתף & כסף congestit vir æternaturæ gloriæ Joh. Buxt. in stupendo opere jam cit. Porro etsi in tota vinea solum modò tales uvæ reperirentur, vel vinca tam parcas



cas produxisset, ut jam vindemiata esse videretur, illa ramen tota pauperibus tribuebatur juxta test. R. Akiba; vide Lexic. Orth. in hanc vocem. Et si quis vineam suam sanctificaverit, ut fructus ejus in usum templi cederent, antequam scire potuerit, an illo anno parvulas tantum sit productura uvas, tum vinea illa pauperibus non dabatur. Ast verò, si illam sanctificavit, postquam jam viderit illam racemos tantum aliquos habere, pauperibus debuit relinqui.

§. 11. Ad Eleemosynarum genus octavum me accingam. Vocatur illud פרוט Acinus Deciduus. Lex hæc priori subjungitur Lev. 19: 10. ופרט כרמך לא תלקט *neq; grana decidentia* (acinos deciduos) colliges. Grana nimirum illa, quæ in vindemia inter colligendum è racemulis deciderunt. Id quidem hæc cum conditione. Si unus seu bini decidebant, tum hæc lege continebantur, quotcunque sic decidebant; non verò si tres simul decidebant conjuncti, nedum plures, tunc enim non relinquebantur pauperibus, sed pertinebant ad patremfamilias. Hujus autem acini decidui ferme eadem ratio est, quæ spicilegii, ideo Ben. Lect. remittimus eò §. 5.

§. 12. Eleemosynarum nonum genus stricti juris, quod ceu debitum egenis tradi debebat, & quo tenebantur, vocatur מעשר עני Decima pauperis. Verba legis ita Deut. 14: 28. &c. וקצת שנים א sine trium annorum proferes omnem decimam proventus tui, & relinques eam intra portas tuas. Quem venientes Levite, peregrini, pupilli & vidua, qui sunt intra portas tuas, comedant & saturentur. Ad quæ verba *Aben Esra* ita Hæc decima anni tertii vocatur Decima pauperis, & nos nitimur majorum nostrorum traditione. Vocatur hæc Decima ab *Hieron.* πτωχοδεκάτη. Solet & hic à multis interpretibus adduci locus Deut. 26: 12. Sed nescio, an satis feliciter. Non enim uti videtur agitur de ipsâ Decima tertia, sed de illo, quod voluit Deus illâ solutâ ab Israelitis præstare. Sic explicat R. Abarb. fol. 391, col. 3. Haruna Decimarum fit etiam mentio ab auctore libri Tobia 1: 7. cujus verba Vulgatus minus feliciter vertit: Audiemus eum Græcè loquentem: Την πρώτην δεκάτην ἐδίδον τοῖς ἰσραὴλ τοῖς δεσποεύουσιν ἱεροσολύμοι. Τὴν δὲ δευτέραν δεκάτην ἀπέπεσον ἐπιζόμον καὶ ἐπεσεύον καὶ ἐδωσαν αὐτὰ ἐν ἱεροσολύμοις καὶ ἐκαθεν ἐνταύ-



πόν. Καὶ τὴν τελίην εἶδαν οἷς καθήκει, καθὼς ἐνετείλετο δεββῶρα ἡ μήτηρ τοῦ πατρὸς μου. Contra dicit autem hujus Libelli auctori Acad. Sedan, quondam Cel. Prof. Jacob. Capellus annot. ad C. 7. 4. Ep. ad Hebr. Inquiens: Decimationes non erant tres, uti putavit auctor Græcus Tobie. Sed duæ tantum, ut diserte docuit R. Moses de donis paup: C. 6. Ast qui legitur R. Maimon. is sane deprehendet, omnino trium Decimarum eum mentionem fecisse, quanquam non singulis annis solutas omnes affirmet. Verba qui cupit Maim. illi adeundus est locus cit: à Cupello. Ex quibus, prolixioribus licet, sententia Judæorum aperte cognoscitur, & quid statuendum de Capelli Censura, qua libri Tobie auctorem taxat, patescit. Nimirum frustra culpatur, & falsò citat Maimon, contradicentem. Nam R. Moses expresse trium decimarum mentionem facit, ita tamen, ut non singulis annis locum obtinuisse, sed certo tempore unam ab altera peremptam dicat, à tertia videl. secundam. Et si verò hoc pacto nunquam simul tres decimæ fuerint solutæ, vocat eam nihilominus Aben Esra ישישן tertiam, quod esset, ut R. Bechai loquitur מועד מועד nova § à reliquis distincta decima. Quæ sententia est plerorumque Judæorum. Varenius Trisol. sac. c. 12. aliter sentit, Hæ, inquit, decimæ trietericæ eo anno perimebant decimam non utramque, ut putat R. Salom. non secundam, ut Ab. Esra, sed primam. Sed, nisi prorsus fallor nihil aliud docet R. Salom. quàm quod Maim. § Aben Esra, vide Comment. Rabb. ad Deut. 14: 22. & patebit, communem opinionem Rabbiorum esse, secundam decimam à tertia peremptam fuisse. Arbitramur etiam hic perpendendum, annum illum tertium vocari notanter שנת המעשר, annum Decimarum, quâ appellatione primus & secundus neutiquam insigniuntur. Confer R. Salom. R. Mos. Alshech comm. ud b. l. Flavius Joseph. Scriptor maximus, cujus autoritatem pluris se facere, quàm omnium Rabbim. affirmavit Cl. Salmas. de sæm. Trapezit. de Decimis agens, l. 4. C. 8. Antiq. Jud. Mosen ita loquentem inducit: ταῖς δεκάταις ταῖς δυοῖν, ἅς ἕτερος ἕκαστος προσέπειν τελῆν τὴν μὲν λευίτης τὴν δὲ ἐπέσθαι πρὸς τὰς ἑνωχίας, τελίην πρὸς αὐτοῖς κατὰ τὸ ἐθῶς συμφέρον εἰς διανέμησιν τῶν σπανιζόντων γυναιξί τε, χηραῖς καὶ πᾶσιν ὄρφανοῖς. Ultra duas decimas &c. Hinc jam constat, anno tertio pauperibus in populo Israelit: dispensatam fuisse. ὅτις ἂν εἶ δειξῶν,

§. 13. Hæc dicta sufficiant de ordinariis Eleemos, iisque stric-  
 ti seu debiti juris. Sequuntur jam ordine, quem nobis præscri-  
 ptimus, explicanda Liberi juris seu arbitraria Eleemosynæ. Vocabi-  
 mus hoc genus *אס' זקן* ELEEMOSYNAM. Lex sacra, quæ  
 huc spectat, non una atque unica est, sed plures. Deut. 6: 10. Cap.  
 14: 4. *לן ידיה כן אביון*, Per te seu in te non debet esse ege-  
 nus. Immorabimur aliquantisper huic loco, quoniam apprime  
 ad rem nostram faciet, & varie à variis redditus est. Sunt qui pu-  
 tant, hanc legem ut mandatum indigentibus datum esse, quo omni  
 mendicitate iis interdictum sit. Sed quid tum dicendum de La-  
 zaro, Bartimæo Marc. 10: 46. Luc. 9: 1. Act. 3: 2. & aliis, qui ta-  
 li ratione vitæ suæ instituto legem hanc, si lex dicenda, turpiter  
 violassent. Alii dicunt, esse quidem mandatum, non tamen in-  
 digentibus, sed aliis præscriptum, scil. Magistratui, ut ille remo-  
 veret mendicos à cœtu, vel sese liberalem exhiberet erga pau-  
 peres egenos quosvis, hisque subveniret, ne opus illis esset men-  
 dicandi gratiâ stipem quarere vicatim. Huic sensui favet Excel-  
 lent. literaturæ Hebr. Doctör *Drusius*, & in hac opinione stat vir  
 subacti ingenii *W. Zepperus de leg. Forens. l. 4. C. 26.* uti & magnum  
 illud doctrinæ puræ miraculum *Amesius de Cas. Consc. l. 2. C. 25.*  
 Modò citatus Zepperus addit rationes gravissimas, quare Deus  
 noluerit in populo suo esse pauperes, pag. 625. 26. 27. Quapro-  
 pter quoties in sacro codice mendicorum mentio est, toties sum-  
 ma populi Judaici corruptio, & à lege Dei secessio, arguitur, quâ,  
 quas pauperum subventioni opes destinaret Deus, ab ipsis sacri  
 legè interceptas, aliorumque translatas fuisse, significatur, id-  
 que sacerdotum avaritia potissimum, quâ opes Ecclesiasticas in-  
 vaserant. Ipsi hodierni Judæi, se obligatos hac legesentiunt, te-  
 ste viro præst. *Joh. Buxtorffio*, in libro lectu jucundo Synag. Jud. p.  
 421. Experientia tamen ipsa docet, pessimam esse pauperum apud  
 Judæos conditionem. Die enim Veneris & pridie omnium fe-  
 storum domos mendicandi causâ circumeunt, ut Sabbatho vel  
 die festo aliquid in honorem festi habeant, quod comedant. Si  
 quis insigni paupertate premitur, illi à Rabb. suis, quibus notus  
 est, litteræ conceduntur, in quibus paupertatis ejus & penurix  
 fit mentio ac pietati & religioni ejus testimonium perhibetur. &c.

Has

Has literas קברז hoc est collectionis literas, ipsum autem mendicum קבצן i. e. collectorem appellant. Hisce ergo instructus discurret per totam regionem, & quoscunque potest Judæos adit. Tradit has literas principi Rabbinò Aeditumo, gubernatoribus פּרנסיים dictis, seu ראש הקהל Archisynagogo, נבאים, qui cum oculis suis aedes sacras circumeunt, ipsisque vi harum litterarum mendicandi potestatem concedunt. Stat ergo cum duobus sub Janua scholæ, & duo illi adjuncti, quantum possunt ostiarum colligunt. Et si pauper Judæus filiam viripotentem habeat, nec quicquam doti dicere possit, oportet illum talibus literis tamdiu peragrari, usque dum aliquid coegerit, quo filiam suam dotare possit. Contrariantur autem huic Buxtorfio, quæ in *respons. Drusii ad Mineru. Serrarii*, ita traduntur: *Hodie Judæi non mendicant, ut prohibent, qui eorum notitiã habent.* Imò verò perhibitum est a Buxtorf. l. c. Refert tantum audira, non enim unquam cum eis versatus est, neque commercium habuit. Hæc quasi ἐπιπεσίδες. Ex quibus jam invicè concludo, in Judæa ex neglectione legis istius multos fuisse egenos, & quia pauperes videbant, se posse multo facilius inertia suâ acquirere panem, & divites vi legis divinæ (erant enim tenaces legum suarum) vehementer constructos esse, adeoque sese non deserturos. Neque mirum; Mendicitas enim habet matrem inertiam, teste *Valerio Maximo* l. 2. C. 6. & comes inertia est egestas, & egestatis est furacitas, uti vult Phoclyd. in sent.

Πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ εἶναι ἀποκρίμων τῶν χειρῶν.

Omnis enim piger defurtivus vivit manibus.

Vide *Alex. ab Alex. Rev. Gen.* l. 3. c. 13. § Platon, de leg. Audi, inquit ille, in ea civitate, in qua videas mendicos, ibidem § fures habes, latebras queritantes, sectores, sacrilegos & hujusmodi scelerum artifices *Minut. Fel. Oct.* p. 224. *Apul. Assin. cur.* l. 9. *Dion. Halicar. A. R.* l. 2.

§. 14. Sed ut è diverticulo redeamus in viam, Ex antecedentibus legis verbis uti constat, satis liquet Mosen loqui de Remissione debitorum anno Sabbatico à Judæis præstandâ, & hanc omni conatu videtur iis commendare. Et ne à ditioribus vel plane omitteretur, vel aliquatenus neglectui haberetur, ideò, per anticipationem gravem eorum antevertit scrupulum, cogi-

tan-

§. 15. 56

tantum forsan: Quod, si id, quod Moſes in gratiam egenorum dixit, tam exacte obſervarent, ipſi procul dubio in paupertatem prolaberentur. Et huic objectioni occurrere videtur verbis ſeqq. Tantummodò non erit egenus inter te. Proinde nos planiſſimum ſimpliciſſimumque veritatis ſenſum talem poneremus cum Viro Erudito Saldeno in otii Theol. Metuendum nequaquam eſſe Legem hanc de Debitorum Remiſſione unquam alicui fraudi fore, quoniam ſi modò ſint exacti hujus præcepti æmulatores futuri, Deum velle tam largè ipſis benedicere, opesque multiplicare, adeo, ut nullus inter ipſos deprehenderetur egenus. Et ſi fortean quiſpiam inveniretur, qui ſubſidio opus haberet, ac illi in honorem Dei debitum ſuum remitterent, illum contra cumulatori benedictione augendum eſſe. Rectè igitur Vir Magnus, Theologus inclutus, Fr. Burmannus in Deut. h. l. emolliſſe tantum Deum hic mandatum ſuum de remiſſ. debitorum, ſingulis annis inſtituenda, & ſimul fidem ſuam in præſtando eo excitare. Quid? quòd ipſe Chriſtus Matth. 26. dicit: *μὴν ἴτε τὸ πτωχὸς ἔχει μετ' ἐαυτῶν*, Pauperes vobiscum ſemper habetis, & Marcus addit: *καὶ ὁ τὸν θεὸν θέλει, δύνασθαι αὐτὸς ἐν μισῆταις*, & cum volueritis poteſtis illis benefacere. Neque alia ratio dierum Meſſiæ eſt; Sunt enim ubique qui egeni, eruntque ſemper in ejus regno. Quod ipſi Judæi de Meſſia ſuo, quem regem regum maximum potentiſſimumque futurum ſomniant, ſibi que omnia læta in regno ejus & proſpera promittunt, fatentur. Sic in Babil. Schab. fol. 631. dicit Samuel: *Non eſt diſtremen inter hunc mundum, & dies Meſſiæ מרביות שעבדור אלה* niſi quoad afflictionem regnorum Ethniorum, ſicut dicitur Deut. 15. *Non deerit egenus*. Et erunt, inquit Maimon in Com. ad Sanhed. fol. 120. Col. 1. *In diebus Meſſiæ regis valde magni divites & pauperes, fortes & imbecilles juxta ſeſe*. Verum in iſdem diebus erit facile invenire civis homini unde vivat, quoniam labore parvo, quem quis feret, ſibi parabit commodum magnum.

§. 15. Cum verò jam in eo ſumus, ut pauperum, miſerabiliſſimæque perſonarum ſæpenumero jam fecerimus mentionem, præter inſtituti noſtri rationem haud erit, ſi de his pauca dicamus, & inquiremus, quinam ſub eorum nomine intelligantur, Vox *πτωχὸς* proprie notat hominem, qui vix habet unde vivat. Hinc non neceſſum eſt, ut ad mendicos præciſè reſtringatur.

Rectè

Rectè *Vir Ill. Hug. Grotius* iudicat πτωχός esse non illos, qui mendicando victum quærunt, quod uti ex multis locis Evangel. ita præcipue ex loco 2. Cor. 8: 9. probat. Sic, ut paupertas non de mendicitate, sed peculii penuria intelligi debeat eorum, qui ope destituti sunt. Sic & Græci Interpret. reddidère vocem πτωχός illum, qui ærumnis, miseris, & calamitatibus premitur, qui non habet consolationem in hac vita, uti Lazarus. Distinguendi probè etiam pauperes & egeni. Pauper quibusdam dicitur ille, qui quidem caret propriis facultatibus, sed tamen alienis sustentatur, neque egenus dicendus, qui subsidiis non tantum propriis destitutus, sed & alienis, quemque adeo juxta *Juvenal. Satyr. 3.* tegula sola tueri à pluviis, molles ubi mittunt ova columbæ; Inter quos *Vir omnigenæ eruditionis, præcticus felicissimus Hornbeckius theol. præct. part. 1. 665.* Sed patet è contrario, præstantissimos scriptores peiori ferè loco habere egenum, quam pauperem. Ab egente enim est egestas, at peior hæc videtur paupertate. Nam plus dives habet, quam opus, ut possit juvare alium; pauperi est, quantum satis est naturæ, sed juvare potest neminem; egenti verò opus est ope aliena, quod parum abest à mendicitate. Sic præstantiss. *Sald. in Ot. Theol.* Pauper est, qui aliquid adhuc habet, egenus, qui nihil, sic *Martialis l. 2. Epig. 3.*

*Non est paupertas - - habere nihil.*

Sic *Seneca Ep. 17.* distinguit, *Plin. l. 4. Ep.* Unde *Horatius* parvi possessionem paupertatem, non per rei nullius possessionem, describit *l. 2. Ep. 2.*

*Res urget me nulla, meo sum pauper in ære.*

Recentur autem inter miserabiles personas, viduæ, pupilli, orphanani &c.

§. 16. Apud Judæos pauperes erant vel peregrini vel inquilini. Peregrinus haud alius est, quam proselytus justitiæ teste *Seldeno, Viro undiquaque docto, libro, de J. Nat. & Gent. C. 6.* In Lege simul memorantur Levitæ & peregrinus, quos quam comiter excipiebant. Legimus relatum, *Hyrcanum* instituisse ξενοδοχίας, quibus adventas pauperes peregrinos susceperit *l. 1. C. 1. Ege-sipp.* Sic *Josephus l. 13. C. 6. A. 3. Παύτος Ἰουδαίων ξενοδοχίαν ἤρξατο*, quod vertit *Gelen:* primus omnium cœpit militem externum alere, sed

sed melius Ruffinus peregrinos alere; sic quoque constat ex Thalmudicis, in Synagoga, saltem in conclavibus illi vicinis seu contiguis *ἑνοδοχία* fuisse, in quibus communibus sumptibus convivio & hospitio viatores & peregrini excipiebantur. Consule opus stupendum *Suicri Thef. Eccles.* &c. Erat tamen propè Synagogam locus, in quo sunt soliti viatores edere, bibere, dormire. Sic sapius Apostoli pauperes, cum ex præcepto magistri, tum ob professionem per Evangelii, charitatem Christianam, hospitio vel subsidio sublevârunt. Hâc significatione etiam accipiendum, quòd Gajus totius Ecclesiæ hospes dicatur Rom. 16: 23. nimirum, quòd fuerit præfectus publico *ἑνοδοχίας*, ad hospites Ecclesiæ excipiendos. Hic occupatæ fuisse videntur viduæ, lavantes pedes peregrinorum 1. Tim. 5: 10. Cumquæ Phæbe dicatur Rom. 16: 1. *Διακονοῦσα τῆς ἐκκλησίας ἐν κερχαίαις*, vix melior sensus aptari potest, quàm dicere, quòd ministraverit in publico *ἑνοδοχία*. Inde & Agapæ videntur suam originem traxisse. Et quamvis nomine se vendere posset profelytus Domicilii, tamen cum his nullam habebat fortem, nihilominus gentilis aliquis, qui nondum planè renunciârat idololatriæ. Hæc de peregrinis pauperibus. Jam de *כרסו* inquilinis pauperibus. Erant illi pauperes urbis, religionis, familiæ, domûs; Imprimis continebantur sub hac lege, viduæ & pupilli, qui alebantur præcipuè diebus festis. Pulcherrimè describit hanc consuetudinem *Maimon, in lib. de comparit: in festis C. 2. §. 14.* Siltebant in eo maximam lætitiæ suæ partem, si viduæ pupillivæ, quibus non suppetebat copia unde alebentur, simul cum divitibus in re lauta versantibus, gauderent, atque participes lætitiæ essent. Ipse Deus omnia misericordiæ officia illis impendi mandavit. Qualia de se ipso recenset Jobus C. 29: 12 14. Scholastici Theologi sex opera misericordiæ recensent, quæ comprehendunt sub hoc vericulo:

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

Ex quibus diligenter expensis hoc manifestissimum evadit, neminem ferè tam inopem esse, quin afflictis pauperibus opem præstare queat, puta, consilio in rebus adversis, solatio, precibus & intercessionibus. Quid? quòd illa paupercula viduæ, duo minuta in gazophyl, immittens, præ divitibus commendata à Christo

C

Lug.

Luc. 21: 2. Sed non omnes etiam viduæ & pupilli egentes habendi sunt, verum illi albo egenorum expungendi erant, qui opibus instructi, saltem Paulus 1. Tim. 5: 4. viduas, quamlibet fortunæ tenuioris, liberos tamen & propinquos habentes, qui ἀντιπέλαστον illis præstare possunt, excludit. Addimus nos illam vagam mendicantium turbam, quæ ex aliorum sudoribus saginatur, inter quos multi se claudos, surdos, mutos, epilepticos, leprosos, mentiuntur. Hi manuum propriarum laboribus honestè se alere debent. Illi qui per incendia, aquarum inundationes, latronum depredationes, hostiles incurSIONES, morbos diuturnos similesque casus infaustos, quorum res lautæ fuerunt, ad egestatem inopinatò rediguntur, iuvandi sunt per fideiussiones, per mutuaciones sine usuris, ne ad stipem detrudantur. Illi, qui cum liberis suis operis nihil facere possunt, & quibus domestica vitæ sustentatio non sufficit, sustentari debent ab Ecclesia. Cuilibet à ditione, territorio, civitate, pago, sua necessaria suppeditari debent. Id præcepit Deus olim, uti hæcenus vidimus, & N. T. Ecclesia continuat, uti ostendunt Synodi, Decreta. Leges alias Deus præscripsit, quibus prospici queat pauperibus, quas Dicitus Zepperus in libro cit. dividit in Ecclesiasticas Oeconomicas & Politicas, quasque omnes recenset egrègiè, qui consulendus,

§. 17. Quamvis autem media illa, à nobis recensita levanda egestati pauperum, præscripta fuerint, fuerunt tamen Israelitæ ad munera liberalitatis extraordinaria conferenda tardiores. Saltem non existimem, ante τὴν μετακίεθραν βαβυλωνίαν inter Judæos Eleemosynas à statis Collectoribus certis temporibus fuisse congestas, sed referendum ad ipsùm tempus captivitatis, quod & Synagogis dedit originem: Esther. 9: 22. Cum enim Israelitæ in exteris illis regionibus commorabantur, non erat ipsis integrum Leges de Angulo &c. aded exactè observare, imò vel rariùs agros possidebant, magis erant intenti mercaturæ, & tamen pauperes inter ipsos versabantur, hinc necessitate fuerunt adacti, Collectores Eleemosyn. constituere. Dein tam rigida hæc ratio habita, ut negligentiores hujus charitatis à Synedrio sui officii fuerint moniti, & sæpius sententia forensi coerciti, Con-  
sue-



suetudo transmittendi Eleemosynas in terram Canaan jam fuit recepta antiquitus, id, quod liquet ex *Hieron. Epist. lib. 11. fol. 451. Col. 4. adversus Vigilantium.* Vir literarum sacrarum peritissimus *Schikkard. Orat. de festo Purim*, tradit semisciclum illum, quem Judæi ex lege quotannis tenebantur templo inferre, post destructam Hierosolyman jussu Titi in Canaan transmissum esse *Buxtorf.* similiter notavit, circa hoc festum dona erogata fuisse in pauperes, & quidem si pecunia data, dari solere dimidium usitata moneta, idque in memoriam sicii dimidii. Vocat monetam מעות פורי, nummos *Purim.* vide *Synag. Jud. C. 29. Leon. de Modena de Cerem. Jud. p. 1. C. 14.* Videtur autem hic mos originem traxisse ex pietate & affectu erga terram Canaan, quem Judæi *מִן הַמְּדַמְּעִים* nullo certiori indicio probare potuerunt. Neque video, quid obstet, quò minus dicamus Paulum se huic mori accommodasse, cum Eleemosynaas collegit pro pauperibus Ecclesiæ, quarum non infrequens memoria in epist. ad Rom. 15: 16. 1. Cor. 16: 1, 2, 3. 2. Cor. 8: 9. Act. 11: 29. 24: 17.

§. 18. Sequitur Eleemosyna pro לְעֵנֵי עוֹרָם, pauperibus mundi collecta. Sunt autem pauperes mundi mendici quivis ostentim petentes, nullâ habitâ ratione gentis & religionis. Hæc autem Eleemosyna injiciebatur לְהַמְרוֹי sportulæ vel canistro aliquo publico, quod erat vas quoddam, in quo colligebantur panis & esculenta pro pauperibus hisce. Exigebatur autem hæc Eleemosyna quotidie per tres viros, & distribuebatur pariter per tres. Non licebat autem collectoribus se ab invicem separare, nisi quod hic secedere posset ad portam, ille ad tabernam, ne oriretur suspicio, se in proprium usum, quòd dabatur clam, convertisse. Vide *Ligtfoot. ad b. l.*

§. 19. Eleemosyna, quæ colligebatur pro pauperibus istius urbis, conferebatur in לְקִיפָה arcam pauperum publicam (unde dicta *Cista Eleemosynaria pro pauperibus istius urbis solim.*) Colligebantur autem ab oppidanis per duos Parnasim. Distribuebantur vesperi Sabbathi ad vesperam Sabbathè *Cista Eleemosynaria*; Scutella autem unoquoque die. Quod tamen non necessarîo infert ipso Sabbatho collectam factam ab Eleemosynariis. Imò *Philonis Locus in Legat. ad Cajum p. 698.* totus est contrarius, qui asse-

xit, septimo die non licuisse neque accipere neque dare ea, quæ ad victum spectant. Et ex hoc loco quidam putant, lucem dari loco Paulino 1. Cor. 16: 1. dicentes, Paulum ipsis primum diem, ut *Ἐγείρω* Sabbatho oppositum, Eleemosynisque idoneum indicasse. Scitè hoc observavit *Maximus interpres*, *Joh. Coccejus op. T. 7. ante animadv. ad quest. 83.* Et cum eo *Theologus solidissimus Camp. Vitringa in Archisyn. l. 3. p. 1. C. 13.* Hæ cistæ vocantur generaliori nomine *Gazophylacium*, quod erat in illa templi parte, quod atrium populi vocamus. Hæ cistæ verò ibi reperiebantur, non una, sed plures, de quibus videndus *Ostho in Lex. Rabb.*, & in harum unam coniecit vidua *Marc. 12: 41. Joh. 8: 20.* minuta duo. In Synagogis autem reperiebantur statim post ostia, quò precaturis occasio daretur suam erga pauperes exercendi liberalitatem.

§. 20. Harum Eleemosynarum collectio facta ab illis, qui vocabantur Collectores. Vocabantur hi vel *בכאים* penes quos tamen non erat summa potestas illarum distribuendarum, cui vellent, sed residebat apud *בית דין* Synedrium, ceu docet *Maim. l. c. c. 9.* vel dicebantur *פרנסים*. Significationem & originem hujus vocis elegantissimam prolixè tractatam, vide in *Archisyn. Celeb. Vitringæ l. 3. p. 1. C. 2.* *Doctiss. Ligtfootus*, depingens formam Synagogæ, titulum Parnasim ferè tantum refert ad Eleemosynarum collectores, quos unicuique Synagogæ assignat tres, producto testimonio ex Talm. Hierof. An verò rectè sentiat Ligtfoot: nostrum non erit inquirere. Litem istam relinquemus Viris undiquaque doctis Acad. Franq. collegis Vitr. & Rhenferd.

§. 21. Quamvis autem Collectores constituti fuerint, ut has Eleemosynas, unicuique largiri potuerint egenti, in destitutum tamen venit, & idem mos evenit, ac apud nos; dum mendici plateas discurrunt & frustra panis vel aliud quid petunt. Accedebant & limina templi diebus Sabbathi, & stipem petebant ab adventantibus, qui preces facere vellent, ideo etiam semper ad fores Proseucharum magna fuit copia egenorum. Exemplum occurrit *Act. 4.* Videtur ad hunc morem respexisse *Juvenalis Satyr. 3.*

*Dic ubi consistas, in qua te, quero Proseucha,*

Adc-

Aderant hîc cum cophinis cistisve: Ideò cophinus & cista nota miserî Judæi est. Hinc forsân lusus *Martialis in Gell. l. 5. Ep. 17.*

*Dum te posse negas nisi lato, Gellia clavo*

*Nubere, nupsisti Gellia Cistifero.*

id est, miserrimo Judæo, qui ad fores Synagogarum & profetarum stipem ab aliis petit.

§. 22. Hæc de Eleemofynis dicta sunt. Jam ad secundam Dissertationis partem accingor, quæ ritum *σαλπισμῶ* explicabit. Respectu harum Eleemofynarum D. Servator prohibet *σαλπισσοῦ*. *Μὴ σαλπίζετε ἐμπροσθέν ὑμῶν.* Verba, quamvis primo intuitu videantur leviora, vexata tamen sunt. Servabimus hunc ordinem, ut dicamus cum de origine vocis, tum de buccinis veterum pauca prælibabimus, dein verum loci sensum afferemus, & Problema istud: Num hæc verba propriè an impropriè sint intelligenda? solvemus. Vox *σαλπισσοῦ* est notabilis, & reperitur tantum ter vel quater in libris N. T. Derivatur à *σαλπιγγί* tuba, buccina 1. Cor. 14: 8. Hebr. 12: 9. Matth. 24: 31. 1. Thess. 4: 16. Hebr. dicitur *שופר*. Buccina autem respicit ad ipsum actum inflandi, quasi *Bou*. *Bou* canat, hæc placent *Varroni l. 4. de LL.* vel à *Bove*, quia boum exprimit mugitum, vel ab Arab. *برق*, seu *Bukjin* lituus, quo innuitur homo parum taciturnus, cui arcana revelare non satis tutum ducitur. Meretur observari apud Hebr. varios accentus dici *שופר* v. g. *Munach* ob figuram, quam aliquo modo repræsentat dicitur *שופר ישר*, Sic & accentus Mappach ipsis est *שופר הפוך* tuba inversa. Darga dicitur *שופר גלגל*. Consulantur Accentuatores Hebræi. Voces autem Latine Buccina & Tuba, differunt. Tubæ sunt *הצצרות* & buccinæ *שפרות*. Hæ formabantur plerumque ex cornu, illæ ex metallo: Germ. *Posaune* & *Trompette*. Per cornua tamen apud autores classici ferè semper intelliguntur *Buccinæ*.

§. 23. Quoniam autem Antiquitas Buccinarum non adeò satis perspecta omnibus, at verò inde varia sacri Codicis commata lucem accipere possunt, non injucundum fore duxi, si quædam de buccinarum materia, forma, & usu in sacris apud Hebr. & alios populos, adferrem. Materiam, juxta communem traditionem Hebr. oportuit esse corneam, hinc Hebr. *שופר*  
rectè

rectè à Luth. semper ferè redditum Horn/ & intelligitur buccina. At non aequè sufficienter constat, ex quonam genere cornu fabrefacta buccina, Scriptura tacet. *Buxtorf.* adducit in *Lex. Thalm.* ex *Rosch Haschana* titul. *Thalm.* שופר של ראש השנה של יער. *Buccina N. Anni* sit ex recto rupicaprae cornu & כתרן בשלצ כתרן & כתרן בפרץ in jejuniis ex curvis arietum cornibus. Sed contradicit huic auctoritati textus R. Jehud, qui invertit, quæ tamen lis dirimitur in Gemara. Ipsæ sacrae litteræ jungunt voci שופר vel יובל vel יובלים Jos. 6: 4. Exod. 19: 13. Jobel autem consentientibus Philol. ferè plerisque, notat arietem, uti testatur *Buxtorf.* Synag. Jud. & *Ainsv.* ad Lev. 23: 24. 25: 9. Num. 10. Hisce autem adversatur vir magni nominis Sam. Bochartus Hieroz. p. 1. l. 2. C. 43. & Nicol. Fullerus, dicentes: Non dari talia cornua arietina, quia idonea sunt, ut conficiantur exinde buccinæ, nec habeant, quippiam cavum, in quo flatus possit recipi. Sed fallunt & falluntur. Nam, quicquid natura illis denegavit, nonne id per artem potuit conficari? nonne potuerunt cornua excavari & idonea ad flatum formari? Tum videntur & hi viri contrariari, nescio, quo modo ipsi experientia, quæ probatum reddidit, cornu arietinum cavum esse, quantumlibet apex sit solidus, protrusâ tamen ex eo medulla, cavum omnino est. Ipse *Josephus* Ant. l. 5. C. 8. dicit, quòd Gedeon populum dispersit in tres turmas, qui in dextra portaverint cornua arietina loco buccinarum, in quibus jussu Gideonis buccinarint. Et huic quid respondeat loco, nescit Bochartus. Remittimus autem ab hoc rigore, & alias cornuum species non excludimus, (quamvis prærogativam habuerit arietinum) modò sit mundi animalis, excepto tamen vacineo. Solus R. *Jose* pugnat pro vacineo. Dicunt autem Judæi, ideo se rejicere vacineum, quia Israelitæ in deserto vitulum aureum adoraverint, & ea res, quâ quis semel ad cultum idololatricum abusus est, postea ad ministerium sanctum transferri non possit. Præ aliis autem cornibus videtur aptum cornu arietis, ut possent habere *μνημόσυνοσ* ligationis Isaaci, & arietis, loco ejus immolati, vid. Goodw. Mos. & Aaron. l. 3. C. 7. Habent autem buccinæ in extremitate figuram arietis, & buccina talis ferè coincidit cum buccina Romanorum. Vide librum pererud. *Clar. v. Till. Digtfang en Speelkonst*  
deu

den Hebreer p. 156. & Lips. de milit. Rom. Dial. X. Jam ad formationem buccinæ. Extrudebatur primum omnis medulla è cornu, quoniam aliàs non tam facile poterat aptari ad edendum sonum. Non debebat auro obduci, nempe illa pars, quæ ori admoveatur, vulgò das Mundstück/ neque intrinsecus, aliàs inepta, neque extrinsecus auro obducta esse debebat, aliàs sonus non videbatur immediatè ex ea fluere, sed tantùm ex auro. Neque variis coloribus & picturis eam licebat ornare, vide R, Jos, Kaarf. in הלכות ר. ה'. Non tamen idem dicendum de buccinis, quibus insculptæ figuræ; Illis eas non licebat ornare. In his admodum cavent, ne in alio, quàm naturali situ usurpetur, tum & buccina alii in ferta non licebat canere; denique amabant integram & illasam stare. Videnda jam, quæ in ritè formata solent desiderari. Quæritur 1, an furto ablata sit adhibenda? Afirmatur hoc, quia non cadit in sonum judicium furti. 2, An adhibita sit cultu idololatriæ usæ? Interdicitur hoc, quoniam Idololatria ab Israelitis perpetrata, & inde sublata æstimatio; jam verò in buccina requiritur æstimatio. Ob eandem causam rejicitur 3, illa, quæ adhibita in anathematizatione urbis? Vide de his omnibus R. Maim. Alphef. Niss. Kaarf. loc. cit.

§. 24. Inquiramus jam in fundamentum ritus salpizationis. Rabbinii non omnes circa clangorem buccinarum decisiones excogitarunt, sed plus, quàm semel populo Dei commendatum morem legimus. Buccinas argenteas Moses jussu Dei fecit Num. 20: 23. Salomon 2000. templo intulit, uti testatur *Joseph. Antiq. L. 3. C. 2.* Habee autem buccina latissimum in Sacris Judæorum usum, quos plerosque ordine paucis recensebimus. Inflabantur illæ 1. Quotidiè, cum aperiebantur portæ templi & atrii, tempore matutino. 2. Cùm offerebatur quotidianum sacrificium, sacerdotes stantes buccina cantabant intermixto cantu. 3. Annunciabatur Sabbathum clangore buccinæ, sex articulos temporis edendo; ad primum clangorem operariis ab opere in agro fuit abstinendum, ad secundum ab opere operariis in urbe, & claudendæ tabernæ; ad tertium accendendæ lucernæ Sabbathinæ, vel ut alii volunt exuenda phylacteria. Tribus reliquis clangoribus expectabatur tantillum temporis spatium, quantum pisces assando, aut pani in fornace

nace indurando impenditur, quartum & quintum & sextum clangorem faciunt sono protracto, & quiescunt: fiebat verò hæc salpizatio in tecto Sabbathi, de quo 2. Reg. 16: 18, uti hoc placuit Viro Exercitatissimo in Philol: sacra, celeberrimo J. Rhenferdio in *conjectura*, quam nuperim habuit *super hunc locum*. 4. Ufus alius tubarum erat in jejuniis. De hac buccina sine dubio intelligendus *Chrysofostomus* Orat. 1. contr. Jud. vide *Buxt. Synag. Jud. C. 26. 5.* In inauguratione Novi anni. Hodie Judæi per totum mensē mane & vesperi cornu arietis inflant, & fingunt sibi somnia mira; nim: se hoc clangore posse hebetare Satanam, ut perplexus reddatur, ne verum anni principium sciat, & per consequens, ne aduersus eos in iudicio compareat, & peccatorum accuset teste *Lundio in Antiq. Jud. p. 1026.* 6. Notabilem habebat usum in excommunicatione, vide *Ligfoot*, ad *Matth. 6: 3. ex codice Sandedr. & Cocceji* notas. Facit ille mentionem trecentarum & quadraginta adhibitaram in excommunicatione. 7. Cum notabile quid in templo accideret, nimirum, cum Ecclesia lata erat: id quod Deus ipse innuit *Num. 10: 10.* Cum Arca fœderis in Salomonæum templum ducebatur, bone Deus! quantæ ibi salpizationes? 2. *Chron. 5: 12. 7: 6. Efr. 3: 10.* 8. Temporibus publicarum afflictionum, & calamitatum. *Joël. 2. 9.* Utebantur tubis in bello, auxilium Jehovæ implorantes *Num. 31: 6. 2. Chron. 13: 12.* item quum reportabant victorias, buccinis cantabant, uti liquet exemplo *Josaphathi 2. Chron. 20: 28. conf. Joseph. Antiq. l. 9. c. 1.*

§. 25. Horum exemplo ducti etiam gentiles aliique populi variis casibus inflârunt buccinas, uti patet *Maccab. 6: 33. 9: 12.* Sic olim & semper lusit Diabolus simiam Dei: Ille enim præter alia instrumenta Musica quoq; usurpari curavit tubas. Tangemus primum Romanos, quoniam apud illos fuit maximi valoris ritus salpizationis. Utebantur illi buccina in militia, Hinc est, quod præcones vocentur buccinatores, æneatores, vide *Dion. Halic. L. 47. Antiq.* Sic quoque Græci habebant suum *αὐτῶν* vide *Lips. de Milit. Rom. dial. X.* In sacris adhibebantur buccinæ, in certaminibus sacris ubi solenni ritu victores erant denuntiandi, nempe sonitu buccinæ. Sic *Virgil. Æneid. l. 5.* ludis descriptis ita

*Buccina commissos medio canit aggere ludos.*

In funeribus utebantur tubis, uti hoc docet *Servius ad l. 5. Axi.* Consulantur *Magii Miscellan. lib. 1. C. 13.* & *Meurs. de funer. Cap. 13.* *Causaub. ad Suet. Jul. Caf. C. 84.* *Alex. ab Alex. dier. Gen. A Gell. l. 20. Jul. Caf. Bulenger. T. 2. l. 2. p. 376.* In triumphis buccinabatur, uti hoc egregie exsequitur *Lexic. Hoffmanni univers. in voce Triumphus.* Erat & instrumentum musicum pastorum, quibus pecus compelebant *Parr. de re Rust. l. 2. C. 4. Propert. l. 4. Eleg. 11:*

- - - - - *Pastoris Buccina cantat.*

Adhibebatur & buccina eum in finem, ut in vivaria animantium genera convocarentur, docet hoc *Jul. Caf. Buleng. op. T. 2. l. 2. C. 3.* Cum ludos agere volebant, non modò mappà, sed & signum buccinà dabatur *Apul. l. 10. Plin. Epist. l. 2. Sen. Ep. 65. Ovid. Metam. l. 10.* Argivi in suis Dionys, iisdem soliti sunt uti tubis, ad Deum evocandum, teste *Plut. in Sympos.* Ægyptii quoque illis homines ad rem sacram convocabant. *Pollux buccinæ ἤθιφθρυμα ἱερογυμνὸν ἐπιθυσίας* refert, hinc tubicinem vocabant *ἱεροσολπιγκτήν* seu *δαλυσέντην*, quia tubæ clangore populum dimittebat. Generaliter autem adhibebantur, 1. Ad sacra indicenda, convocandosque homines, & peractis iis, dimittendos. 2. Ad silentium excitandum in hominibus. 3. Ad leniendum Deos suavi hoc sonitu, eosque mulcendos. 4. Ad exhilarandos homines, quò ab omni tristitia absterrentur. 5. Credebant hocce sono homines divinitus afflari. 6. Ne vel bestiarum vel hominum voces lugubres tristes & ominosas eorum, qui immolabantur, auscultarent. 7. Placabantur ipsæ quoque bestiae hoc tubæ aliorumque musicorum instrumentorum clangore. Confer viri pereruditi *Gul. Stuckii descript. sacr. sacrif. Gentilium p. 114.* Hæc studio de buccinis in genere præmonere volui. Jam ad rem nostram.

§. 26. Cum D. Servator taxat Hypocritin Pharisaicam, facit in specie etiam mentionem illius hypocriteos, quæ observabatur in distribuendis Eleemolynis nimirum *Σωλοτισμῶ*: Sic ille: *Ὁταν εἶν πειρῆς ἐλεημοσύνην, μὴ σωλοτίσης ἐμπροσθεν σου.* Cum igitur facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te. Intactus ferè hic locus à plerisque commentatoribus mansit, qui non æquâ lance illum perpenderunt. Queritur hic: An Pharisei in præstandis Eleemolynis adhibuerint buccinas? eum nimirum in finem, ut vel convocarent populum,

D

pulum,

pulum, qui aspiceret liberalitatem, vel pauperes, qui acciperent stipem. Multi viri interpretes docti negativam tenent sententiam, & verba hæc esse accipienda improprie dicunt. Diffidentium tamen etiam non est, multos existere Viros claros, qui affirmant, & proprie hæc verba explicant. Doct. Ligtfootus nescius est, quomodo explicet: Apud ordinarias Eleemosynas rotunde negat adhibitas fuisse, apud extraordinarias autem & particulares, magis videtur astruere, quam destruere. Dicit ille de ordinariis, nullum vestigium apparere, & se non invenisse, quasiverit licet multum & diu. Sed quid dicendum de illis, qui sub cantu musicorum instrumentorum cum primitiis suis, inter quas & fuere dona pro Cistula pauperum, ascenderunt Hierosolymas, de quo more videndus *JureConsultus & Philologus optime doctus Wagenseilius in not. 1. ad Miscb. Sor. C. 7. Sect. 3. Novar. in Schediasm. sacris, & D. Hottingerus in libr. de Jure Reg. Hebr.* Nec frustra *Cl. v. Till in Matth. 6. 2.* hæc adducit: Nam quamvis nesciatur, num buccinis cantaverint, tamen aliis instrumentis, quasi ebuccinaverunt per omnem terram, quam præteribant, dona sua. Quid porro convocatio illa, quæ fiebat in ordinariis Eleemosynis, tibi vult? Ligtfoot. expressè loc. cit. dicit, *pauperes convocatos fuisse.* Quo verò aptiori instrumento hoc fieri potuit, quam buccina, cum illa in convocando plerumque adhibita sit, ut diximus? Per vocem præconis videtur hoc fieri non potuisse, nam sonus vocis humanæ non eò penetrat, ut à distitis audiri queat; at verò sonitu buccinæ, qui acer, sonorus, vehemens, acutus, facili negotio fieri potuit. Hæc quoad Eleemosynas ordinarias. Quod verò ad extraordinarias & particulares Eleemosynas attinet, Ligtfootus ponit, non statuit. Intelligunt ergò bene multi verborum horum sensum improprium ac metaphorieum, ferè eodem modo, uti hodiernum dicimus, rem, quam publicæ luci notam esse volumus, *Ebuccinare.* Sic ergo, Christum hac phrasi dixisse: Phariseos homines tam fastuosos fuisse, ut in Eleemosynis dandis, seseque commendandis, laudes suas ebuccinarent, notas illas perspectasque fecerint omnibus, idque ob causam nullam aliam, quam vanæ gloriolæ ergò, quòd populus adstans sciret eorum liberalem benignitatem, volebant *digitis monstrari, Sic est.* Hic ille est, qui egenis



27

nis adeò beneficit. Hic est ille, qui pauperes ac egenos nullo modo patitur ope destitui. Hic est ille, in quem ora, vultusque vestros conjicite. Sic Phariseus ille à Christo sistitur proferens verba laudis propria: *Jejuno his hebdomade, & do pauperibus decimam omnium meorum honorum.* Hac explicatio satis comoda videtur, imò ex usu vocis Græcæ apud autores Græcos ita recepta. Hinc & ego non facilè ei obloquar.

§. 27. Sed, quid verat? quin extrudamus omnem metaphoram, & propriè hanc phraseologiam explicemus; nimirum Phariseos reverà usos fuisse buccinis in dispersendis Eleemosynis in plateis, vel aliis locis, ubi multitudo populi maxima erat. Fecerint hoc vel per alium, nimirum præ cursorem aliquem buccinà canentem, tamen id ipsi fecerunt. *Nam verba facti pro verbis dicti saepe ponuntur*, vulgaris Canon Theologicus est. Sic Deus Exod. 13: 2. Moysi dicit: *Consecra mihi omne primogenitum.* Sic Josuæ 5: 2. *Circumcide filios*, i. e. impera, jube, fac, cura, ut consecretur, ut circumcidantur. Vel ipsimet buccinârunt, quò pauperes accederent, populusque convocaretur ad contemplandum. Videur ergò hic mos vetustus fuisse apud Judæos, qui cujusque loci pauperes, statis temporibus, in certum locum, dato buccinæ clangore, convocarunt.

§. 28. Quò autem hæc sententiâ conjecturabilis firmior reddatur, probabo eam similiter argumentis & rationibus conjecturabilibus. Primum ergo argumentum desumo ex sensu literali hujus textus. Planus enim ille est, & simplex, quid ergo confugimus ad figuras, præsertim, cum nos nulla cogat necessitas? Sumus inde de mente Christi certi satis. Lubens fateor, esse sub literali sensu aliquando figuralem vel metaphoricum, ast contra nemo mihi negabit, illo parcius esse utendum. Et quid impedit, quò minùs hanc salpizationem propriè juxta litteram interpretemur, cum nihil hic reperiamus, quòd repugnet fidei, neque quòd valeat ad probandam fidem? Et quis æquus rerum arbiter diffiteri nequit, Scripturam, dum res gestas breviter narrat, multa omittere illo tempore, quo primùm in litteras relata, tumq; satis cognita erant. Quomodo ferè, si quis historiographus suæ gentis contextat historiam, & officiorum fortè aut rituum, vel morum

D 2

quo-

quorundam meminerit, non interrumpet filum historicum, licet ad illa describenda se non accingat. Quorsum enim populares suos de istusmodi rebus institueret, quæ ad ritus patrios spectant, quæque iis ignota minimè esse possunt? At si exterorum aliquis, ad noscendam illam historiam animum applicet, & ritus illos plenius intelligere velit, illum oportet sensum literalem simplicemque permittere. Præferimus ergo & nos in hoc loco sensum litteralem, ita tamen, ut figuralem non rejiciamus: uterque enim simul apprimè consistere potest.

§. 29. Succedat secundum argumentum peticum ex ipso contextu & filo historico. Christus taxabat hic hypocrisim Phariseorum, uti jam cœperat, vl. 20. cap. V. *ὅτι εἰς μὴ πλεονεξίᾳ ἢ δικαιοσύνῃ ὑμῶν πλεόν των γεγραμμάτων ἢ φαρισαίων* &c. *Nisi abundaverit vestra iustitia* &c. & in seqq. In eo etiam totus est hoc capite, & in illa taxatione Christus ferè nullo utitur sensu figurali, sed turbam illam, quæ secum ascenderat in montem, docet sibi cavere ab ambitione & inanis gloriæ captatione, cui Pharisei erant addicti in Elemonsynis precibus & jejuniis. Turba illa rudis & plebeja, sensum figuralem vix intellexisset, si non eum Jesus Christus clarius innuisset. Hæc videntur stabilire ea, quæ sequuntur in hoc sermone Christi montano, nimirum in culpandis precibus, & jejuniis utitur Christus simplice modo loquendi, ubi figura vix opus est. v. g. *in precibus*, v. 5. confer titerum Phariseos cum hypycritis seu mimis. *οἱ φιλοῦσιν ἐσταῖς συναγωγῶν καὶ ἐσταῖς γωνίας τῶν πλατειῶν ἐσφῆτες προσευχέσθαι* &c. *amant in Synagogis & plateis stantes orare* &c. Idque nullum alium in finem, quam *ὅπως αὐτοὶ φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις*, ut spectentur ab hominibus, & admiratione, laudeque sanctimonix singularis excipiantur. In jejuniis: vl. 16. comparat illos iterum cum hypocritis *σκυθρωπῆς, ἀφανίζουσιν*, inquit, *γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν* &c. *demissis oculis*, superciliis contractis vultum tetricum & lubricum ostendentes, eum in finem uti antea, ut spectentur tales, idque pietatis & sanctimonix ostentationis gratiâ, cum tamen intus stomachum deliciis ferventem gestarent. In hisce omnibus vituperat Christus illorum mores fastuosos, quidni ergo in primo genere hypocriseos similiter Christus propriè locutus fuisset? Eundem servat semper ordinem in culpandis illis vitiis. 1. Vitium taxandum simpliciter proponit, 2. Mo-

res

res Phariseorum circa illud addit, respectu apparatus & habitus corporis; in Eleemosynis scilicet *buccinabant*, in precibus *stabant*, in jejuniis *faciem obscurabant*. 3. Causam quare subjungit, *περὸς θεοδύναμιν*. 4. Perniciosum effectum affert: *Auferunt mercedem suam*. 5. Officium nostrum circa Eleemosynas nostras &c. nempe ut vitemus hypocrisis & amemus simplicitatem. Constat jam satis Christum hinc proprie fuisse locutum, & penes proprium sensum etiam aliquid figurasse.

§. 30. Tertiò: Institutum hoc pias habebat rationes. Nam, ne otiosi securæ, qui mendicandò victum & amicum quarebant, neque manus operi admoveere volebant, sed otio planè diffuentes, laborisque impatientes, ne inquam illi sua importunitate inconvenienti reliquis verè pauperibus & inopibus piis stipem præriperent; hinc est, quòd tuba sint convocati in certum aliquem & statum locum, eumque publicum illuc, ut Eleemosynas accepturi accederent. Hunc morem per se Christus non reprehendit, sed modum & finem, quoniam hoc nempe faciebant *περὸς θεοδύναμιν*, ad gloriolam reportandam. Non enim est peccaminosum, dare Eleemosynam etiam publicè in viâ publicâ occurrentibus mendicis: Ubique locorum enim decet benefacere, sed Christus vult non allici oculos hominum ad nostram Eleemosynam, sed cor nostrum ab oculis hominum abstrahi.

§. 31. Porro hoc patet ex collatione Hypocritarum cum Phariseis, quam Christus hinc videtur instituere. Inducit enim ille quasi Tragœdiam aliquam aut Comœdiam Phariseorum. Jam verò Hypocritæ propriè sunt Histriones seu Mimi, qui in theatro fictas personas agunt, qui externâ larvâ induti apparent jam esse principes, jam rustici. Simulant se habitu, sermone & moribus esse tales, quales videntur, cum tamen revera tales non sunt. Tale simulatores optimè dicendi Pharisei & scribæ, qui, quod non erant videri volebant, & quod erant, videri volebant, quales illos descripsit *Chrysostom: de adorat: l. 7. Mutabiles, formâ leves, ovina pelle lupi formam tegentes*. In comœdiis, quòd populus ad spectandum adveniat, signum buccinâ datur. Sic hinc Pharisei comœdiam agentes quasi, (quâ comœdia bona sua opera sistunt, quibus cœlum promereri putant) buccinâ invitant spectatores, jam



Jam esse tempus, quod accederent, & oculos in semetfixos haberent (uti oculi spectatorum in mimos), imò prædicarent illos, mirarenturque eorum bene exhibitam personam, circa liberalem suam benignitatem, uti histriones. Absque omni dubio etiam, velut in occasionibus ferè omnibus, dilatârunt phylacteria sua, & producerunt fimbrias palliorum suorum Matth. 23: 5. Sic & in Eleemosynis hoc observârunt, eodem rursus modò ut histriones.

§. 32. Quintò subit D. Ligfooto illud in *Hieros. Demai* fol. 23:2. גכא צוקה בייטלה יהו פכריון כררך שפכריון בחול *Exactores Eleemosynæ non proclamant die festo, sicut proclamant die communi; sed exigunt clanculum & reponunt in sinu.* Quidni ex hoc loco concludere liceret, buccinas in præstandis Eleemosynis fuisse adhibitas, cum Rabb: testimonium hoc videtur innuere. Quid enim proclamare aliud denotat, quàm publicare, manifestum facere, quo verò aptiori instrumento illud efficitur, quàm buccinâ? quæ acriter aures hominum penetrat. Jam verò dicitur in isto loco, *non proclamant die festo, sicut proclamant die communi exactores.* Eleemosynarii illi enim erant ex parte præfecti Synagogæ, in Synagoga autem erat tuba, quâ res, quas publico cœtui voluerunt esse manifestas, annunciârunt, hinc facile buccinam ex Synagoga petere poterunt, ut elicerent ditiores ad imitationem. Tum contextus ubertim videtur hoc & apertè dicere: *Die festo exigunt clanculum.* Quid illud *clanculum*? Procul omni dubio opponitur hoc proclamationi. Et ad quid לשכת השני *Gazophylacium silentium*, quò Eleemosynas suas contulerunt *religiosissimi quidam* silenter & clanculum, & noluerunt sua dona in commune conferre, ne hâc ratione eorum beneficentia populo publicaretur, si non aliqui hoc publico signo fecissent ad ostendam liberalitatem suam. Contra etiam aliqui fuerunt, qui idè noluerunt in commune conferre Eleemosynas suas, quoniam aliàs non publicabatur eorum donum, hinc ipsimet distribuerunt, & buccinâ multitudinem & pauperes convocarunt, ut eò majorem laudem ab illis assequerentur. Eapropter & Christus dicit: *Referunt mercedem suam*, nempe supplicium judicii divini, quod superbis pro mercede irrogat: quale enim beneficium tale præmium.

§. 33. Ultimò probè notandum est totum ferè caput 23. *Matth.* ubi

ubi Christus concionem habet in templo ad turbam & discipulos de Pharisaorum doctrina, moribus & detestanda hypocrisis, quam instituit vsq. ita: πάντες δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιῶσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. *Omnia opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus.* Inter πάντα ἔργα quid si referamus opus eorum maximum, quo etiam cœlum tandem promereri autumabant, ἐλεμωσύνην? Hanc illi fecerunt maximè, ut spectarentur: quomodo autem spectari potuerunt, nisi populus adesset, at populus non aderat in tanta copia, nisi evocaretur signo publico, vel per tubicinem præeuntem vel per Pharisaeos ipsos; quapropter & plerunque id fecerunt in locis, ubi duæ vel plures viæ concurrebant, non in locis abditis & sinuosis, ubi nulla copia hominum. Obrepebat nimirum ipsis titillatio laudis humanæ & propriæ complacentiæ. Nam, si non peregrissent hæc omnia ex ambitione, piè sanè fecissent; sic utiq; suo exemplo incitassent alios, qui similiter egenorum occurrentium sublevassent inopiam. Et cur Christus dixisset eadem hac concione montanâ, *Matth. 5:16.* Ὅτι ἡ λαμπρότης τῆς φῶς ὑμῶν ἐμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἰδῶσιν τὴν καλὰ ἔργα ὑμῶν. *Ita splendeat lux vestra &c.* Non Christus potest dici, hîc vitare, & ibi jubere. Sic enim huic mandato Christi discipuli simul satis facere nullomodo potuissent, ut splenderet simulq; lateret lux. Jubit Christus bona opera facere coram hominibus, in finem ædificationis, prohibet verò ostentationis gratiâ, prius jubet *Matth. 5:16.* posterius vetat *cap. 6:2.* Tum etiam opera sincera jubentur priori, apparenter autem bona verantur posteriori dicto. Introducam hîc loquentem virum Eruditiss. Steph. Le Moyne. Dicit ille Judæos habuisse vasa buccinea, ore angusto, corpore verò ampliore & quasi sinuoso, ideoq; שופרות dicta, in quæ Eleemosyna coniecta. Hæc verò vasa fuisse fabricata ex ære & metallo tinnientia, quæ, si Eleemosyna a Pharisaïs in illa magno quodam impetu coniecta & in fusa quasi fuerint, tinnitum visa essent buccinæ referre. Hinc etiam derivat vocabulum σάλτις, &c: sed quis non videt, speciosam magis hanc esse observationem, quàm solidam. Exempla quibus salpizatio propria illustrari possit, recitat Hieronym. Tom. 1. ad Eust. de Virgin. Servanda.

§. 34. Aliter faciebant olim Persæ. Apud illos enim non infla-

inflabatur buccina, seu cornu musicum ab illo, qui Eleemosynam dabat, sed erat quoddam hominum genus religiosum, devotum Deo, *Parisa* dictum seu *Kalender*, quasi καλὸν ἀνδρα dicas, vel *Derisib*, quod stipem petebat. Hi miseri habebant grande quoddam cornu appensum ad latus, ad convocandum populum, ex quo stipem ferociter exposcebant, uti hoc testatur Vir præclar. *Theod. Hyde* in libro excellenti de *Vet. Pers. religione*, in præf. pag. 2. Similem consuetudinem habent Arabum *Abdali*, similes monachis hodiernis, qui circum corpus habent instrumentum musicum, quod vocant *Serpentem aneum*, similem ferè nostris buccinis, quocum flant ad accipiendas Eleemosynas, uti perhibet historicus celebris *Dapp. intiner.* p. 176. Sic Indi in usu habent stipem clangore satis acuto rogare, vide *D. Vall. Itin. part. 4. c. 10.* Quid si diceremus populos hosce hunc morem (uti multos) teste *Viro Claro P. Dan. Huet. Prop. Evang. IV. C. 6.* didicisse ab Hebrais, sed ex mala intelligentia, perversè institutos fuisse à relatoribus. Imprimis cum Apostolos in omnem terram ivisse, ac omnes gentes docuisse: & in specie in India *Evang. Matth. prædicasse Thomam* (si fides autoribus habenda) constet confer *Miscell. Tom. 2. Exerc. 13.* Viri elegantis ingenii & doctrinæ *Herm. Witsii.*

§. 35. Omnia illa, quæ diximus de Salpizatione ista, optimè proh dolor! quasi ad punctum redivivi Pharisei in Papatu representant. Nihil enim est, quòd non in hodiernum Clerum Pontif. imò in ipsum Pontificem artissimè congruat. Nónne illi venditant buccinæ quasi præconio publico Eleemosynas, cùm Ecclesiæ amplissimas ædes, fundos uberes vel corradunt, vel pauperibus annuatim solvi jubent argenti quidpiam, vel eà cum conditione locant, ut maxima cum pompa celebretur dies anniversarius, in quo eorum memoria celebretur, virtutesq; præsertim beneficentia, ab Oratore aliquo ebuccinentur. Imò ex monumentis historicis patet, nomen, familiamve benefactoris publicè recitari, insignia fundatoris in templi parietibus figi, quòd omnibus perspecta essent. Quid? quod, publica carmina concinuntur in ejus laudem, musicisque instrumentis imprimis buccinà divulgantur cantilenæ. Non tamen improbandum pulchrum hoc institutum, quo quidam certam summæ pecuniam (belegen ein gewiſſ Capital) pauperibus, viduis, vel Scholæ

Scholæ ministris à morte sua distribuendam curant. Hinc originem ducunt die Legaten-Gelder beyrn Predigstuhl/ vor die Armen im Hospital, vor arme Schüler/ Spenden/ quorum fructus in hunc usque diem etiam in nostra Libera Republica cum grata defunctorum memoria percipiuntur. Sed quod Testatatores tales aperte jubeant vel imperent, in eorum memoriam celebrari festum, insignia exhiberi &c. modestia non permittit homini Christiano. Tales nihil aliud faciunt, quàm quod salpizent cum Phariseis, & ebuccinent bene facta sua, *προς τὸ θεαθήναι*, vanam gloriolam captent.

§. 36. Reliquum nunc esset differere, quomodo ergo dandæ essent Eleemosynæ, sed, quia hoc unicuique satis propria conscientia dicitur, ab eo desistimus & remittimus, B. L. ad System. absolutum Theol. Burmanni L. 6. C. 9. inde à §. 27. & commentarium eruditum Perkinssii in Concionem Christi montanam. Hæc verò habui, quæ de eleganti hoc themate conjecturabili dicere volui. Si quid expolitum aut limatum minus vel error occurrat in illo, id juvenili concedendum calamo. Si meliora quis me docuerit, lubens mutabo sententiam. Si cui autem sit animus carpenti, respondemus esse *πάν μὲν αὐτῶν ἢ μὲν αὐτῶν. τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφ' ἑαυτῶν, αἰωνίου μόνῳ σοφῷ θεῷ πᾶσι ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.*

F I N I S.

A N N E X A.

1. Sacrificia divina originis esse probamus.
2. Spectrum Endoræcum, de quo 1. Sam. 28. non fuit ipse Samuel.
3. Uxorẽm Lotbi in statuam salis per veram metamorphosin mutatam fuisse, vero simile est.
4. Nullum Synædrium ante Captiv. Babyl: fuisse, affirm.
5. Reverã Paulum Ananiam agnovisse Act. 23: 5. dicimus.
6. Per ἀνάθημα Pauli Rom. 9: 3. separationem ab ipso Christo intelligo.
7. Hinc tamen non tenentur Christiani lege charitatis, eodem modo & gradu animati esse erga proximum, uti Paulus.
8. Καταποντισμός Matth. 18: 6. non fuit supplicium Judæorum.
9. Choreas, prout hodie in usu sunt, Christianis illicitas esse, A.
10. Mos accumbendi præcis Hebræis fuit inusitatus.
11. Aries loco Isaac immolatus fuit typus Christi.
12. Zacharias Luc. 1. simul factus surdus & mutus.

E

Præ.

Præsidis  
ad Doctissimum D. Auctorem

προσφώνημα.

**M**Os erat hypocritis sonitu clankisse tubaram,  
Dum stips pauperibus distribuenda foret.  
Quippe volunt digito monstrari & dicier, hic est:  
Quid multis? nimium se nihil esse crepant.  
Est operæ precium, tractasse fideliter ista;  
Sic celebras nomen, Docte COLERE, tuum.

DITERICUS COLERUS,

per Anagr:

Rus cole, Ritè cudis.

**R**us Nomen, Verbum Colo, dic quid quæso COLERUS?  
Ruricola hic Domini, & mox sator almus erit.  
Scilicet hinc nomen cum verbo transit in omen,  
Hinc ferrum cudis ritè, COLERE, tuum.  
Ut tibi sit mordax aratri dens, vomer aduncus,  
Nec quid sementis tempore deficiat.  
Perge, tuum porrò Cole rus, mox turgida messis  
Instabit, quandò præmia digna feres.

*Paucis hinc Doctiss. Dn. Aut. congratulari  
animatus voluit*

J. Ölrichs, V.D.M.

**H**Attenus Eloquium, Sophies cultusque sacratæ  
Quòd Tibi sit curæ, verba diserta probant.  
Nunc majora probas, divinaque verba cathedrâ  
Personuisse sacrâ, non satis esse putas,  
Sed ruis ad calamos, & prælia, laude ferendus,  
Æratis mandans docta Trophæa typis  
Nil superest, nisi, quod paucis ex pectoris imò  
Vota feram, Cœptis annuat ipse Deus.

*Hicce paucis, tenui Musâ depremitis, gratulari Dn.  
amico suo integerrimo voluit*

J. Iken.



753962

ULB Halle 3  
001 854 02X




sb.

2

W/R







6.

DISSERTATIO PHILOG; THEOLOGICA,  
DE

 **ΛΙΠΙΣΜΟ**

Circa

**ELEEMOSYNAS,**

Ad locum Matth. VI. v. 2.

Quam

Supremi Numinis Auxilio

PRÆSIDE

*VIRO Admodum Reverendo, Clarissimo*

**GODEFRIDO JÜNGST,**

SS. Theol. Doct; ejusd. Prof. O. Celeberr;

nec non Ecclesiae ad D. Ansgarii  
facundissimo,

Eruditorum disquisitioni placidæ submitter

**DIDERICUS KÖLER,**

BREMA - SAXO,

**AUCTOR.**

*Ad diem 30. Junii Hor. loc. consueta.*

**B R E M Æ,**

Typis HERMANNI BRAUERI, Illustris Gymnasii  
Typographi. 1707.